



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciones Sive Conceptvs Theologici, De Praecipvis Omnivm Sanctorum Festiuitatibus, ab omnium Sanctorum Festo ad Pascha vsque occurentibus**

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

In festo S. Marcelli. De boni Episcopi virtutibus, eorumq[ue]  
comparationibus. Laudes & encomia S. Marcelli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54700)

supplices te hodierna die deprecamur, vt captiuarum illarum virginum lamenta, suspiria, clamores, lacrymas benignus exaudias: ac tristes creaturarum tuarum gemitus attendas, quæ iam à tot annis, tamq; grauius, & tam atrocibus apud inferos in iustitiæ tuæ carceribus, supplicijs excruciantur. Noli quæso clementissime, ac benignissime Deus aures eorum questibus occludere, qui noctes & dies de profundis terræ visceribus ad te inclamant, ita namq; sortem eorum describens *Psalm. 129.* *Psal. 129.* *De profundis clamaui ad te Domine exaudi orationem meam; Fiant aures tue intendentes in vocem deprecationis mee.* Quare age fidelium omnium conditor, eorumq; animarum redemptor, misericordiam & gratiam illis impertire, & venia misericordissimæ pietatis tuæ omnia illorum peccata extingue, & vniuersalem omnium illis delictorum veniam cõcede, vt indulgentiam quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur: & tetrissimis carceribus egredientes libertatis æternæ compotes efficiantur, ac recta ad beatorum gloriam & requiem sempiternam, quam ipse beatitudinis status secum trahit, perueniant: ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus perducere dignentur.

IN FESTO MARCELLI EPISCOPI PARISIENSIS.

*Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.*  
Eccles. 44.

FIGURA.

Inter cæteros quos Romana resp. tulit viros vir- Plutarch.  
tute & rerum gestarum gloria insignes ac bello in Marcel-  
& pace nobiles, non postremum, meo quidem iudicio, locum obtinet magnus ille Marcellus, qui  
lo.

Hannibalem Italiæ incumbentem profligavit, quintum Consul fuit, ac varijs in remp. collatis beneficij, egregiam virtutis & fortitudinis apud posteros famam & nomen est consecutus. Non minore vero laudē mihi commeritus videtur Marcellus Parisiensis, magnus ille Iesu Christi achates, qui toties in vita, nō dico Hannibalem, sed ipsum diabolum fregit, ac superavit: qui quidē non Consul Roman. sed Præsul Parisiensis existit, multis in remp. Christianam meritis celebris, & fidei Catholicæ propagatione nobilis. Eius hodie vobis collegium hic celebrabo, si sanctissimus ille spiritus auxiliij sui zephyro, ac gloriosissima Dei mater Maria intercessionum suarum flabris cymbalam meam propellere dignentur. Quare solita eam compellemus salutandi formula: *Aue Maria.*

*1. Tim. 3.*

Apostolus Paulus cum virtutes & qualitates in Episcopo requisitas Timotheo suo præscribere, duas in primis ei necessarias esse ait, doctrinam videlicet, & vitæ probitatem, opera simul & verba. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, continentem, pudicum, doctorem.* inde vero est, quod verbum *oportet* hic vsurpavit, quod sine ijs duabus absolutus Episcopus quis dici nequeat. Ac multis ætate, Paulum sæculis in lege Mosaica peregre designavit hieroglyphico Deus, cum à sacerdotibus arcuit eos, in quib. aliqua esset macula, cæcos quoque etiam, & claudos, & eos omnes qui membro aliquo essent mutili. *Qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si caecus fuerit, si claudus, si fracto pede, si manu.* Cur putatis eum cæcos & truncos manibus à sacrificiorum oblatione arcuisse nō sine ratione. Cæcitas enim symbolū est ignorantia, & ipsa scientia oculus amittit & per truncos manib. certum est designari eos qui nul-

*Leuit. 21.*

nullis sanctis, aut pijs operibus incumbunt. E quibus omnibus efficitur, eum qui cęcutit, id est, qui ad Dei verbum annuntiandum ineptus est, & eum qui manibus mutilus est, id est, qui in bonis operibus negligens est ad Episcopatum, & Dei Ecclesięque ministerium minime idoneum existere.

Idem Apostolus scribens Philippensibus, his duobus se instructum gladijs, ad eos descēdisse gloriatur, atq; hæc duo, verba nimirū & opera, vel certae euangelij sui argumenta pducit, dicens: *Quæ vidistis & audistis in me, hæc agite*: Perinde ac si diceret: Nolite me nugiuendulū, aut cymbalū tinniēs æstimare Philippenses, qui nimirū aliud doceam & aliud faciam: neq; enim de eorū sum numero, quorū lingua brachio fit longior, qui dicunt & non faciunt mea vero agendi ratio cum operibus. semper hæctenus coincidit, operatq; mea ad verba traduce re conatus sum, adeo vt duæ hæc dotes vitam meā, velut pretiosæ quædam gemmæ, decorarint.

Accedit adhæc, quod duos è suis, qui iam ad Episcopatus dignitatē euecti erāt, & Ecclesias moderabātur, admonuit, vt duobus his potissimum armis se instruerent. vni n. eorum in hunc modū scripsit: *In omnibus, temetipsum prabe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, dicere vult, Quoniam Spiritui S. & nobis visum est carissime, præsulē te & pastorem animarum in Ecclesia constituere, satage & pro viribus enitere, vt gregi tuo pietatis & probitatis sis exemplum, ac per bona opera vocationē tuam certam facias & confirmes, quadam scilicet grauitate Episcopali, integritate vitæ, & potissimum doctrina. Alterum vero his verbis adhortatus est. Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione: Quandoquidē Timothee ad Episcopatus apicē euectus es, omnem da operam, vt*  
 fideli-

fidelib. bonæ vitæ exemplo præluceas, ac velut  
 dus quoddam in conuersatione & doctrina efflu-  
 geas, nolo autem te campanas templorum imita-  
 ri, quæ in summitate quidem templi pendentes  
 sono suo & tinnitu omnes vñdecunque fideles  
 templa cogunt, cum tamen ipse nunquam eadem  
 ingrediantur: quib. campanis merito comparan-  
 do depascentes illos pastores, qui ad summum  
 Ecclesia apicem euecti, alto quidem & sonoro  
 nitu aures audientium feriunt, bene dicunt, atque  
 omnes ad bene agendum inuitant: sed ad opera-  
 dum ne digitum quidem mouent. Neque enim  
 facit Præsulem tantummodo loqui, sed necesse  
 quoque est eum manus ad opus ipsum extendere.

Isa. 30.

Isaias futuri Messia Pontificium & sacerdotium  
 in spiritu præfagiens, his id coloribus Ecclesiam de-  
 pinxit: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, &  
 aures tuae audient: verba post tergum monentis.* Pauci  
 ecce verbis omnem Pontificis perfectionem com-  
 prehendit: verba nimirum eius celebrat & opera  
 necesse namque est Præsulem habere aliquid quod  
 hominum oculis appareat, bona scilicet opera: at-  
 que etiam aliquid quod ab omnibus exaudiam,  
 insignem doctrinam, adeo ut cui alterutrum deest  
 perfectus & absolutus pastor dici nequeat.

Luc. 24.

Duo illi viatores, qui in Emaus proficiscebantur,  
 cum Christi qualitates describerent, qui verus Pon-  
 tifex est, & de quo toties ad Hebræos Apostolus  
 magnifice locutus est (scilicet, *Habemus Pontifex  
 magnum, ac deinde Pontifex factus in æternum, & ab-  
 bi, Christus autem assistens Pontifex*) duas potissi-  
 mum protulerunt, qui fuit *Propheta potens in opere &  
 sermone.* Quibus verbis demonstrabant, eum qui  
 actionem & prædicationem, opera simul habet &  
 verba, perfectum vere nominari posse: at qui al-  
 terutro

Heb. 4. 6. 9.

Luc. 24.

terutro  
 nom  
 natu  
 xeru  
 An  
 cho,  
 land  
 losop  
 in Ti  
 per pa  
 tem  
 quo  
 cept  
 rum  
 rius  
 fit,  
 cessa  
 tur,  
 quo  
 emb  
 N  
 tab  
 Dio  
 tes,  
 plur  
 niri  
 & a  
 stiri  
 tus:  
 Lae  
 F  
 Vir  
 N  
 Cur  
 S

terutro caret, veri Pontificis & absoluti Pastoris nomine prorsus esse indignum. Quod & gentiles, naturæ tantum ductum sequendo, facile perspexerunt.

Anacharsis enim philosophus, referente Plutarcho, Græcorum insipientiam & ineptiam exhibendo dicere solebat, *Græci verborum magni sunt Philosophi, sed vita & moribus leuissimi.* Id ipsum & Plato in Timæo in ijs ipsis Græcis reprehendit, *Vos semper pueri estis, senex autem Græcorum nemo.* Garrulitatem eorum & verbositatem vterque coarguit, quod multa quidem docerent, varia verbis præcepta traderent, opere vero nihil, aut saltem parum exequerentur. Sed quanto hoc rectius & verius de Episcopis, quibus alterutrum horum deficit, dici potest? vtrumque enim apprime ijs necessarium est: quod cum in aliquo perfecte reperitur, nã ille magnus & vere diuinus dicendus est, quod vt veteres melius & perfectius exprimerent, emblemate id explicandum censuerunt.

Nobilis enim ille pictor Zenalis hoc nobis in Zenalidis tabula scite depinxit. expressit scilicet Vlysses & Diomedem sese mutuo amplectentes & intuentes, hac addita Epigraphe. *Vnum nihil, duo simul, plurimum*, id est, ex duobus hisce ducibus, Vlysses nimirum prudenti & sagaci, & Diomede Martio & audaci perfectum aliquem posse ducem constitui. ita porro id expressit in emblematis Alcianus:

*Lib. de profect. morũ.*  
Apophthegma Anacharsidis & Platonis.

Embl. 110.

*Laerta genitum, genitum quoq, Tydeos vna  
Hac cera expressit Zenalis apta manus.  
Viribus hic præstat, hic pollet acumine mentis:  
Nec tamen alterius non eget alter ope.  
Cum duo coniuncti veniunt, victoria certa est;  
Solum mens hominem, dextraue destituit.*

quo

quo quid aliud voluit insinuasse, quam eloquentia vna cum prudentia si ad vires & robur accesserint, admirabilem aliquem & penitus deum posse reddere: at alterutrum si cui deficiat inter prestantes eum duces non posse annu-

**Hieroglyphicum Aegyptiorum.** Id ipsum & Aegyptij, præclaro Hieroglyphico expressere: geminum scilicet pingebant Mercurium, sed ita, ut vnus iuuenta vernante remissus, alter vero rugis senium arguentibus esset decoratus. Designare hic volebant, eum, qui ad dignitatem aliquam aspirat, & magistratum ambulat pro dignitate munus suum exerceat, vno in tempore duos gerere vultus oportere, senis vnam alteram adolescentis: doctrinam ei esse necessariam & robur prudentiam simul & opera: & vtrumque hoc magnum aliquem & absolutum reddere. Deum quendam efficere, magnum dixi præsertim mihi ipsomet Domino, dum ait: *Qui autem fuerit & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*

*Matth. 5.*

*Act. 14.*

In Actis Apostolorum historiam video, quae optime facere videatur. Paulus enim & Barnabas Apostoli, cum Lystris, quae Lycaoniae ciuitas est, claudo ab utero matris, virtute diuina, pedum vsum restituisset, ciues, nouo hoc & raro portento mirum in modum percussi, existimabant, Deos sub humana ad se imagine è caelo descendisse, adeo ut sacerdos Iouis tauros ad diuersorium eorum immolandos raperet, coronasque è floribus contrita afferret, ut easdem capitibus eorum, veluti deorum imponeret, Barnabae quidem tanquam Ioui, & Paulo ut Mercurio: quod hic ad populum verba haberet, & alterutro esse videretur eloquentior. Quae vero inusitata quadam virtute ac supernaturali potentia operaretur prodigia: huic nimirum attribuentur

buentes verba, illi autem opera, adeò vt ob duas hasce dotes, quas in duobus his animaduertebant diuinis honoribus vtrumque censuerint afficiendum.

Et profecto ad eum se modum res habet, ille enim diuinus, admirabilis ac plane cœlestis quin & absolutissimus quidam Episcopus est nuncupandus, qui vtramq; hanc dotem in se complectitur. ille namque vere sacerdos magnus dici potest, qui verbis quidem Mercurius, operibus verò fit Iupiter: magnus inquam, vt par ei haud facile queat reperiri.

Verba & opera diuinum alicquem vicium efficiunt.

Horum de numero exstitit Marcellus noster Præful vigilatissimus, cui hodiernam concionem velut panegyricum quendam do dedicoque: & cui hoc hodierna die Ecclesia tribuit elogium: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo: non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi.* Sacerdos nimirum qui verbis opera adaptauit, quæ duo potissimum Episcopo ad perfectionem necessaria sunt, ac de quib. hodierna ad vos die verba habiturus sum: Primo porro agendum erit de verbis, ac deinde de operibus orationem instituemus.

Eccles. 44.

Quod ad primum igitur spectat, quam sit doctrina ac verba Episcopo alicui necessaria, euidenter fatis Redemptor noster in Euangelio demonstrauit, quando nimirum Apostolos, primos nempe Ecclesiæ præfules, lucem mundi appellauit, *Vos estis lux mundi.* perinde ac si dicere voluisset: *Episcopi sunt mundi lux.* go o Apostoli mei, cœli atq; omnium Angelorum lux ex isto, vos vero vt mundi & hominũ lux fitis, constitui. Quid hinc elicietis vos sacrarũ litterarũ interpretes, cū pastores mundi lucẽ à domino appellari

Episcopi sunt mundi lux. Math. 5.

appellari intelligitis? an non fat multæ in celo sunt faces? an non quidam sol est, an non luna, an non sidera? fateor. Sed non hic est genuinus reborum Domini sensus. altius nimirum euolans est, philosophia hæc Christi longe sublimior est, profundior. Innuere namq; vult omnia illa luminaria in solum animalium rerumq; corporali vsum esse condita, ac animarum lucem ipsorum pastores, eosq; radiantium quorundam siderum locum tenere, quæ nimirum Christianos ad gloriam perducant, & viam ad res supernaturales monstrant.

Compa-  
rantur so-  
li.

Ac veluti sol, ille omnituens mundi oculus nostrum axem conscendit, tenebras omnes dispellit, spissas nebulas dissoluit, lumen suum ubique diffundit, atq; omnia, quæ in inferiori mundo continentur, educat ac fouet. ad eum modum & perfectus quidam Episcopus, qui mundo huic velut quidam sol est, inter omnes late luminis suum debet diffundere, in medio Ecclesiæ descendere, doctrina ac prædicatione enitere, ignorantia tenebras fugare, errorum nebulas auferre, & omni virtutum scientiarumq; genere micare, deniq; instar rutilantis cuiusdam planetæ se portet, atque in Ecclesiæ firmamento velut sidus quoddam elucescat.

Compa-  
rantur co-  
lumnæ ar-  
denti.  
Sap. 18.

Accedit ad hanc meam comparationem quæ proxime Sapiens, atq; ex eius verbis aliam hæc ab similem elicio. *Dedit, inquit, eis ignis ardentem columnam duces ignotæ via.* ecce nuncupat eos columnas & bases, quoniam Deus eos vt fulcra quæ & sustentacula constituit, quib. tota Ecclesiæ molles incumbat, sed columnas ardentes & flammantes, doctrinâ nimirum & scientiâ, vt sint nimirum in lucem gentium, & ambulent populi in splendore

re eorum, vt ad ipsorum splendorem peccatores deuij in meliorē semitā redeant, vt ijs vias quas nesciunt aperiant & ad calcandum difficiles demonstrent; viam sc. qua ad regnum cælorum tenditur, viam mandatorum Dei, vias salebrosas difficiles sublimium fidei mysteriorum; vt nimirum doceant, quid sit in sanctissimam trinitatem credere, qui peractum sit sublime Incarnationis mysterium, quia vnigenitus Dei Filius pro infinito in genus humanum affectu humanam carnem assumpsit: quomodo omnia è nihilo Deus condiderit. quæ sunt reuera viæ quædam ad ambulandum difficiles, ac penitus incognitæ.

Robertus Holcot magni inter scholasticę Theologię scriptores nominis, verba hæc Salomonis exponens, ait, Sapientem hæc scribendo, ad historiam quamdā, quæ ex traditione Rabinorū è Genesi eruitur respexisse: sc. Chaam Noachi filium, finito diluuiio, visa iam clade quam vehemens illa aquarum inundatio mundo inuexerat, veritum ne idem denuo forsitan contingeret, quatuordecim ingentes columnas statim constituisse; septem quidem æreas quæ aquarum vi resisterent, & septē lapideas, quæ flammis incendioq; nequaquā cederent, ijsq; omnium scientiarum characteres & notas insculpsisse; primæ nimirū, notas Rhetorices; secundæ Dialectices; tertiæ, Musices; quartæ, Mathematices, atq; alijs aliarum scientiarum notas ac præcepta: vt, si iterum similis orbi strages superuentura esset, ipsæ saltem scientiæ & artes superstites forent, perennantibus illis columnis insculptæ. Porro Doctor ille nostro hoc proposito adaptans ait, Præsules & prælatos, qui veluti bases quædā & fulcra sunt, quib⁹ tota Ecclesia innititur, ad instar harum columnarum esse debere: vt scili-

Holcot  
lect. 195.

cet ijs omnium scientiarum characteres insculpti  
omnesq; ijs virtutes inscriptæ legantur, columnæ  
inquam circumquaq; exarata, virtutibus & sci-  
entijs plenæ, vt licet omnia in hoc mundo naufragi-  
pereant, virtutes & scientiæ nihilominus in  
animabus hospites perseuerent, & à naufragio  
communes, adeo vt Pontificem & Prælatum ita  
usq; instructum esse oporteat, vt ad eum non  
atq; ad scientiarum oraculum & virtutum  
thesaurum singuli recurrant, vt ab eo simplices  
res consilium, ignorantes scientiam, afflicti  
mèn, pauperes auxilium, egeni remedium, peccato-  
tores probitatis exemplum atq; vniuersa Ecclesie  
gloriam & laudem percipiant.

Cur vestis  
summi a-  
pud Iu-  
dæos Pō-  
tificis tin-  
tinnabu-  
lis fuerit  
plena.

Exod. 28.

Scientia namq; & doctrina Episcopo in  
necessaria sunt. Hinc factū puto, cur Domitius  
olim vestem summi apud Iudæos Pontificis tin-  
nabulis, voluerit instrui, quæ dū incederet, tin-  
tū quædam ad numerum ederent; neq; enim per  
Sancta Sanctorū ingredi poterat ad Sacrificia Deo  
offerenda, quam tintinnabula sonitum edidissent,  
cuius rei rationem scriptura reddens ait: *vt autem  
ingrediens & egrediens, & non moriatur. Quis  
ne eū, si ingrediendo & egrediendo sonitu non  
dat, vitæ periculū incurrere? Plurimæ sunt huius  
loci expositiones. Alij namq; dixerunt summum  
cerdotem Sancta Sanctorum ingrediendo, Ange-  
los vt plurimum videre consueuisse, qui miracula  
terribili intuitu timorē ei incutiebat, sed eos  
tintinnabulorū sonitū abire solitos, atq; ita Sacer-  
dotē per tintinnabula morte eripi. Alij vero ex-  
marunt, id ppter reuerentiā erga diuinū numerum  
institutum esse, q; nimirū Deus hunc sibi locū  
culiari quadā ratione delegisset, in quē nō sine ma-  
gna reuerentiā & sancta quadā formidine, ac non  
nili dato signo, aut edito pulsu, vt in palatijs Mag-*

natū & Monasterijs fieri videmus, ingredi oportet. Alij alia comēti sunt, sed omniū meo qdē iudicio, optime rē tetigisse visus est magnus ille Pontif. Greg. qui per veterē illā cēremoniā ait designari animā sacerdotis & Episc. p̄dicationis sonitū edere debere: *Sacerdos ingrediens & egrediens moritur, si sine sonitu p̄dicationis incedat, & tinnitū, sacras litteras interpretando, nō edat.* O minas horribiles, ac penitus formidādas! Deus ecce mortē intētat Prælati, Ecclesiā verā Sāctā Sanctorū, nō edito doctrinæ & p̄dicationis strepitu, ingrediētibus, i. curā pastorālē temere assumentibus. Hinc igitur elicere potestis, quam sit doctrina, ac scientia illi necessaria: in quam rem & alium adhuc conceptum proferam.

Tradunt Doctores Scholast. & in primis S. Tho. in Christo Iesu, in quātū Deus erat, scientiā quādā increatā fuisse; sed in quantū homo, scientiam quādā infusā: cuius rei rationes varię sunt, sed illa principē facile locū occupat, quæ è verbis D. Dionisij Areopagite eruitur, qui ait Christū etiā vt hominē Angelorū omniū ac spiritū cœlestiū magistrū existitisse; vt nimirū ostēderet se eorum caput, Principē ac Pontif. esse. Vt autē eos in proprio idiomate edoceret, requirebatur in eo sciētia quædam infusa, qualē & ipsi habebāt, ac necesse erat vt sciētia præceptoris scientiæ discipulorū, responderet. Per hæc autē omnia demonstratur, Pastores qui totius populi capita sunt ac vertices singulari quādā scientia ad docendos alios, debere esse instructos.

In corpore humano solū caput oculos in se cōtinet, atq; omnia mēbra dirigit & moderatur; ita vt quāprimū oculi eruuntur, tota corporis humani resp. pericula varia adeat, & in ruinam vergat. Ita quoq; vt meo similitudinē hanc p̄posito accommodē, certum est, Præsulem, in magno illo Eccle-

*D. Tho. 3.*

*pa. qu. 9.*

*art. 3.*

*De cœlesti*

*Hierarchia*

*ca. 7.*

*Episcopus*

*capiti cō-*

*paratur.*

fiæ corpore, mystici cuiusdam capitis locum ob-  
nere, in eoq; oculos, id est, litteras, scientiam & do-  
ctrinam singularem esse oportere, vt nimirum om-  
nes sibi subditos rite, ac debite dirigat, ac lectum  
per salebras & anfractus deducat: qui si cæcus  
ac caligare incipiat, quid de commissis ei anima-  
bus, quæ eiusdem quodammodo membra sunt  
sperandum est aliud, quam ruina, perniciēs, & de-  
ipsum quod in Euangelio legimus, *si cæcus cum  
ducatur, ambo in foueam cadunt?*

*Matt. 15.*

*Isai 56.*

Inter cæteras quas in Iudæis deplorat Isaias ca-  
mitates erat, Principū cæcitas, & nimia in deli-  
quentibus conuiuentia: quod sc. instar talpæ oc-  
cutirent, & instar canum mutorum, visis populi  
peccatis non inclamarent, Audite eius verba: *Specu-  
latores cæci omnes nesciuerunt vniuersi, canes muti non  
valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amant  
somnia.* Quinam vobis hi speculatores esse videntur  
nisi Episcopi, quorum Græca appellatio ἐπι-  
σκοπος tantundē valet, ac speculator & excubitor.  
Ecquis est obsecro, qui non ploret, qui non lacry-  
metur, atq; Ecclesiæ calamitatem non debeat, cum  
eius rectorum cæcitatē & ignorantiam imma-  
tur, adeo vt populum instruere, & aduersus heret-  
ticos qui ouili circumquaq; insidiantur, latere  
nesciant? scientia namq; hominibus ac præsertim  
Episc. propria est, vt ignorantia brutis ac bestiis.

*Isai 29.*

Non parua quoque meo iudicio, comminatio  
fuit, cū populo suo Deus comminatus est, daturus  
se ei duces & Principes qui cæcutirent, & gubernato-  
res, quorum oculi caligarent. *Et claudet oculos vestros,  
Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones  
periet.* id est, Prophetas & Reges vestros, qui vident  
quodammodo oculi sunt, quorum est reipublicæ  
commodis inuigilare, cæcos reddet, adeo vt con-  
ducantur.

ducendi & dirigendi fitis ab ijs, qui prorsus cæcutient, qua nulla maior calamitas & infortunium timeri queat, quæq; non nisi insignem ruinam vobis allatura sit.

Hinc cum arx Sion à cæcis Iebuzæis defendere-  
 tur, statim ab Hebræis direpta fuit: *Proposuerat enim David in die illa premium, qui percussisset Iebuzæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odientes animam David.* Vnde colligitur Ecclesias cum à Prælatiis cæcutientibus, id est, ignorantibus & indoctis administrantur, maximo in discrimine versari.

Atq; ideo Ammonitarum Rex Naas, vt Galaa-  
 ditas inimicos suos penitus deleteret, ducibus eorū oculos eruere conabatur. Cum. n. tyrannus ille valida militū manu aduersus eos descēderet, ipsi duces ad eū velut legatos destinarūt, vt secū pacisceretur, sicutq; illi obsequiū obtulerunt, sed barbarus ille & immitis respōdit, nō prius se cum ijs pacē inire velle, aut fœdus pacisci, quā dextros singulis oculos eruisset. Doctissimus Lyranus barbarū hocce factū accuratius examinans, tandem hoc modo concludit; Galaaditas, sc. ingentis stature viros fuisse, longos proinde & vastos clypeos gestasse. Et quoniā clypeus sinistrū plerumq; oculū tegit, hinc fiebat, vt barbarus ille dextros oculos erutos vellet; quib⁹ erutis ipsi bello prorsus inepti essent, vt-pote qui nihil inter pugnandum viderent. Vt hoc nostro cæpto seruiat, dico, ipsos Ecclesiæ militantis duces, ac Principes, Prælatos esse; Satanā vero, qui Naas infernalis est, aliud nihil desiderare, quā vt eos cæcos reddat: quos si semel dextro oculo scientiæ sc. ac prædicationis, orbari contigerit, & imperitos esse, quid obsecro aliud ab illis expectare potest Ecclesia, quid aliud Christiani omnes, ac

grex ipsis concreditus, quam meram ruinam, que velut inutiles ac frugiperdas alere?

*Exod. 25.*

Vnum è præcipuis ornamentis quæ in Dei tabernaculo visebantur, fuit candelabrum aureum in quo septem lampades collucebant: *faces septem, & pones eas super candelabrum, ut luceat aduerso.* designabat hoc, maximum Ecclesiæ ornamentum esse, si Pastor & præful instar candelabri pte eximijs lucernis ad subditos illuminandorum ornatus sit; si inquam Episcopus septem liberarum artibus ac Theologica scientia optime instructus Ecclesiæ præsit; hæ namq; artes sunt velut quædam lampades, quæ nobis in hoc vitæ lumine præbent: Ita nempe & Euangelium loquitur quod scientiam lucernæ & Episcopos candelabrum assimilat, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Quidquid sit, efficitur saltem scientiâ Sacerdotibus, Prælati, atq; omnibus qui ad sublimiores dignitates euecti sunt, per necessariam esse quod noua adhuc ratione demonstrabo.

*Matt. 51.*

*Luc. 8.*

Voluit olim Deus, vt Sacerdotes tubis clangentibus in medio exercituum quamobrem hoc operis iussisse? an deerant alij, quibus hoc magis officio facere incumberet, vt milites ac duces non erat indecens, Sacerdotes qui Deo sacri cruentas tubas in medio castrorum inflare, officioq; tam proprio destinari? vt nimirum ostenderet, Sacerdotes & Præfules, in castris Christianorum, i. Ecclesiæ, quæ terribilis est vt castrorum acies ordinata; tubarum & buccinarum locum obtinere debere, vt nimirum Euangelium annuncient, summi Dei edicta promulgent, eius leges seruandas proponant, sacrosanctum fortiter agendum inuitent, bellumq; acerbissimum & implacabile vitij indicant. Audite quid olim

*Esa. 98.*

olim Hsaiæ in simili negotio præceperit Deus, *Qua- situba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelerum.*

Platonis  
sententia,

Princeps ingenij ac doctrine Plato tum demum beatas fore resp. dicebat. si aut Philosophi eas regerent, aut qui ad earum gubernacula sederent, philosopharentur. Id ipsum modo de hoc nostro seculo dicere mihi iure posse videor, beatas tum demum fore parochias, diceceses & Ecclesias, cum Doctores, Theologi, & Philosophicis scientijs, instructi, in capita, Pastores & Episcopi constituerentur.

Sed quam te merito felicem nuncupare potes ò Lutetia, orbis epitome, totius Europæ ciuitatum & caput & Princeps, Regum delictum, quæ huiusmodi semper Præsules nacta es? nimirum doctos, sapientes, sanctitate & morum honestate penitus admirabiles! Inter quos Principem facile locum obtinet gloriosus ille Confessor Marcellus, qui in gremio tuo est educatus, qui tibi domi natus est, qui territorij tui & agri fructus est germen, qui inter Episcopos tuos, ut inter stellas Luna minores, emicat. Marcellus inquam qui in hac Parisiensi ciuitate natus nonus in ordine Parisiensium Episcoporum fuit, successor Prudentij, idque temporibus cum hæc Gallia ab infidelibus adhuc regebatur regibus; quiq; iam à mille ducentis propemodum annis viuere desijt, & Sanctæ Genouesæ per familiaris exstitit.

Statim ut ingens mundi huius imperium, conditum est, duo quamprimùm magna luminaria constituit Deus, solem nimirum & lunam, quæ toti quæ patet orbi de die ac nocte illucerent. Idem Deus cum Galliæ huius Monarchiam constitueret, duo quoque luminaria effulgere fecit, Marcellum nimirum velut solem, & S. Genouesam quæ secunda

quædam luna foret, vt duo hæc astra, splendore  
 luce rutilantia, toti huic regno lucem præberet.  
 Quid autem impedit, quo minus vtrumq; vir-  
 tibus illis oliuis comparem, quæ in conspectu De-  
 videbantur, vt in Apocalypsi Ioannis describitur.  
 Hem quam eximia virgo! quam magnus & ca-  
 bris confessor! quam merito de ipso hodiernam  
 cum Ecclesia decantare possumus, *Ecce Sacerdos ma-  
 gnus, qui in diebus suis placuit Deo.*

Supra.

Vere inquam Sacerdos magnus, ac Episcopus  
 maximus simul sanctissimus, doctissimus, ac salu-  
 tis animarum studiosissimus. Quoties enim ille  
 populum verba habuit vt peccatores à deuoti-  
 tiorum tramite ad salutis iter reuocaret, peccata  
 sa profligaret, hæreses & praua dogmata extirpa-  
 ret, & idololatrias ad fidei veritatē cōpelleret: fuit  
 fuit, Auditores nouus quidam Iacob, qui vt gregem  
 Labani cœlestis seruaret, magna animi comitantia  
 frigus & æstum infractus sustinuit, dies noctesq;  
 rando traduxit, vt eadem, quæ Iacob, vsurpauit  
 verba merito potuisset; *Diu noctuq; æstu vrgebat  
 gelu, & fugiebat somnus ab oculis meis:* Habuit enim  
 præter verba, doctrinam, sapientiamq; etiam ope-  
 ra; docebat nimirum simul & faciebat; quod  
 alterum est quod in absoluto Episc. desideramus  
 cebamus, & secundum concionis nostræ men-  
 brum, quod iam prosequamur.

Gen. 31.

Actio &  
 opera ex-  
 terna E-  
 pisc. quo-  
 que ne-  
 cessaria  
 sunt.  
 Simile.

Bono igitur & fideli pastori non modo verba  
 sed etiam opera necessaria sunt: neq; enim suffici-  
 vt doctus sit, ad populum sæpenumero verba ha-  
 beat, sed requiritur etiam vt manum ad opus  
 sum extendat, atque ea quæ pro suggestu dixit  
 ipsa & facto probet, omnibusq; & singulis egre-  
 gium probitatis honestatisq; exemplum præbea-  
 Erit alioquin mendaci horologio per similes  
 Nam

Nam quemadmodum cum hora 12. audis, & oculos in gnomonem conijcis, ac non nisi 10. vel 9. horas vides designari, statim tecum ipse iudicas horologium fallere, aut axes introrsum esse vitiatos, ac loco motos. Ita quoque, si pastor, qui verum quoddam fidelium horologium est in summo Ecclesie fastigio horas & minuta indicans, quique veluti campana quaedam est, omnes salutis horas ac momenta populo denuntians, si ipse inquam Ecclesie pastor alium sonum predicatione & alium operibus edat, euidentis signum est eum sibi non constare, atque in eius actionibus discordantiam reperiri.

Paulus Doctor Gentium veritus, ne id ipsum sibi fortasse accideret, omni ratione contendebat mores & vita ut verbis predicationis responde-  
rent. hinc ad Corinthios scribens, aiebat: *Castigo* **Cor. 9.**  
*corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs predicauero, ipse reprobus efficiar.* Id est, Opere implere conitor, quod verbis doceo, & poenitentiam alijs predicans, in meipso eandem prius exprimere studeo: alios ad fletum & lacrymas inuitans, prius oculis meis lacrymas excutere, atque imitari gestio preclaros illos agricolas, de quibus Psaltes ait: *Euntes* **Psal. 125.**  
*ibant & flebant, mittentes semina sua.*

Episcopus namque multa docens, & pauca praestans, quique theoriam quidem habeat scientiae, at nullam virtutum praxim, & qui alios ad bene viuendum inuitat, ipse vero dissolutionem morum ostendat, similis esse perhibetur faci, alijs quidem lucem praebenti, seipsam vero ardendo destruenti, similis quoque est aquis Baptismi, quae animas quidem ad caelum aditum patefaciunt, ipsae vero in sordibus remanent: similis etiam est ijs qui Noe arcam longo tempore compegerunt, in qua alij seruarentur, cum ipsi eadem exclusi aquis immerfi perierint.

Varijs similitudinibus designatur Episcopus, qui ea quae dicit, opere non adimplet.

Bonorum igitur operum exercitium vna cum doctrina & prædicatione Episcopo necessarium est.

*Epist. 16. ad  
Dioscorum.*

Demosthenes inter Græciæ oratores eloquentissimus, interrogatus aliquando, referente Augustino, quidnam in perfecto Oratore primas ferret, respondit, Actio: petentibus deinde alijs, quid secundas, tertium respondit Actio, ac mox quid tertias, iterum Actio: & sane crediderim, eum semper hoc ipsum de actione dicturum fuisse, si sæpius id ab eo petitum esset: Equidem ait id ipsum de Episcopis iure meritoque mihi dicere posse videor: si. n. quis à me petat quid primas in perfecto, absoluto & digno Episcopo ferat, quamprimùm sine tergiuersatione, idque certius orbis iudicio, respondebo, vnicam esse actionem, si deinde, quid obtineat secundas, tertias, quartas vnicam esse dicam actionem: adeò ut similes eadem quæstio reiteratur, idem ego semper de actione testimonium darem. Ipsa namque actio verè ut fundamentum est Episcopalis dignitatis, à qua nimirum tota Episcopi perfectio dependeat.

*Cant. 2.*

Satis id indicasse visa mihi est sponsa in Cantico statim namque ut sponsi vocem laudauit, *sonavit tua in auribus meis. vox enim tua dulcis & decora: ad manuum eius pulchritudinem celebrandam descendit, manus tornatiles, aureæ, plena hyacinthis.* Sponsus hic profecto veram Episcopi imaginem generat.

*Cant. 5.*

sponsa autem Ecclesiæ vox eius prædicationem denotat, & manus hyacinthis plenæ, bona operum virtutibus, & meritis insignita. Tunc namque manus eius vere aureæ dici possunt, quâdo caritas & zelus in operibus eius elucet. hoc namque inter virtutes caritas est, quod aurum inter metalla, & tum dignius gemmis & hyacinthis scæt, quando bonis operibus, ac virtutibus incumbit, quibus nulla pretiosiora monilia aut gemmæ cariores reperiri queunt.

unt. Equibus omnibus apparet, vocis dulcedi- *Matth. 20.*  
nem, vna cum auratis manibus, doctrinam simul  
& virtutem, prædicationem & opera, præstantif-  
simas dotes esse quæ in Episcopi anima, qui verus  
Ecclesiæ sponsus est desiderari possunt.

Quin etiam magnus ille paterfamilias apud S.  
Matthæum, vineam suam, dum cultam vellet, ele-  
git in vinitores, non disertos aliquot oratores, nō  
magnos Doctores, nō sublimes Philosophos, sed  
solos operarios & laborib. affuetos. *Rogate dominum Matth. 9.*  
*messis, vt mittat operarios in vineā suam,* & post pauca *Luc. 10.*  
addit idem paterfamilias, *Messis quidem multa, ope- ibidem.*  
*rarij autem pauci.* Vineam hæc Ecclesiam repræsentat,  
vinitores vero & agricolæ cœlitus missi esse debēt  
laborantes, qui tantum nimirum operantur, quā-  
tum loquuntur. Sed vnum hoc deplorandum est,  
quod multū in hac vinea sit operis, ac messis plu-  
rima, at pauci admodum reperiantur operarij,  
multi quidem in vniuersitatib. Doctores, multi in  
Collegijs philosophi, multi inter nobiles & Auli-  
cos, Abbates, multi in Palatijs Principum Episco-  
pi, sed operarij pauci, pauci, inquam, qui Ecclesiæ  
commodis inuigilent, qui pro eadem laborib. in-  
cumbant, pauci sc. Episcopi, qui quidquid dicunt,  
opere ipso deinde expleāt, *dicunt enim & non faciūt. Matth. 23.*  
Hi vero Deum grauissime offendunt. Hinc libro 1.  
Regum, iratus, q̄ Saul iussa sua non adimpleset e-  
iusq; verbis, Amalecitas interneccione non delen-  
do, non obtemperasset, ad Samuelem, ait, *Pœnitet 2. Reg. 15.*  
*me quod constituerim Saul Regem, quia dereliquit me, &*  
*verba mea opere non impleuit.* Nihil porro obstat, quo  
minus hoc etiam de Episcopis dicatur, illi enim  
Deū dereliquisse videntur, eiusq; verba negligere,  
qui q̄ dicunt, non præstant, qui quidem Euangeliū  
ac genuinum Dei verbum populo denuntiant, ad  
operan-

*Prælati  
vinitorib.  
Euangeli-  
cis com-  
parati.*

operandum tamen non accinguntur, nec manus  
operi admouent.

*Iud. 3.*

Scriptum est in libro Iudicum, Ad filium Ge  
ambidextrum fuisse, & vtraq; manu pro dextra  
sum, de quo inter cætera scribitur, quod *gladium  
ancipitem habentem in medio capulum longi  
dinis palme manus.* Omnia porro hæc mysteria  
vacant. In primis validus ille miles nostros Episcopos  
designat, qui quoniã Ecclesiæ copijs præ  
nunquã inermes sint, oportet, sed semper gladi  
quod est verbum Dei, accincti, gladio inquam  
cipiti, tum ad virtutes laudib. debitis exornan  
tum ad peccata & vitia castiganda: qui gladi  
quoque ad longitudinem manus aptandus est,  
nimirum faciant, quod docet, atq; opere dem  
strent, quod verbis alijs persuadere satagunt.

*3. Reg. 7.*

In mari illo fusili, q Salomon in templo Ierobo  
lymis cõstituit, insculpti erãt leones, boues, & Car  
rubini. Si me sculpturæ huius interpretẽ adhibe  
vultis, dico per mare hoc optime Ecclesiam desi  
gnari, per animalia vero insculpta ipsos Episcopos  
quos fortitudine oportet esse leones, sciẽtia Car  
rubinos, opere ac labore boues. boues inquam ad  
fringendas glebas duriores, ad portandũ iugum  
vineã purgandam, & ad Ecclesiæ noualia colenda

*Apoc. 1.*

Ioannes in Insulam Patmos à Domitiano re  
gatus plurimas à Deo apparitiones habuit, atq; ali  
ter cæteras vidisse se ait filium hominis septẽ ma  
nu stellas tenentem. Per septem has stellas inter  
pretes designari Episcopos arbitrantur, qui sicut  
instar rutilantium ac spëdidorum fiderum in Ec  
clesiæ firmamento collucent, & in manu Dei ver  
santur, vt nimirũ hinc discamus, pastores, nisi fir  
cere ac sine vlla fraude, à manu Dei in Ecclesiã sta  
biliti sint, non vero manu mûdi, id est, fauore ab  
quo

quo, aut datis muneribus, alijsq; vijs illicitis semper obscuros esse, ac nūquam non deliquium pati, nec vllum lumen præbere. Hæ autem stellæ Angelici appellatur: *septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*. vt hinc intelligamus, quanta vitæ puritas Episcopis sit necessaria, qui per doctrinam instar stellarum effulgere, & per vitæ integritatem & innocentiam Angelorum imitari debent puritatem. Noto hic deinde stellas has manu teneri, non vero capiti esse superimpositas, aut alteri cuidam corporis membro annexas, vt doceamur hinc opera Prælati imprimis esse necessaria, quorum operum verum symbolum ipsa est manus.

Apo. i.

Quam pulchrum porro est, ac iucundum videre Principes illos Ecclesiæ munere suo debite ac rite fungentes, populū sibi commissum verbi vitæ pabulo fideliter pascētes, doctrina sua salutis iter illi manifestantes, eumq; honesta conuersatione, ac probitate vitæ ædificantes, omniq; ratione cōtendentes, vt cum theoria praxis q̄ optime coincidat? Quam vero dolendum est ac deplorādum, cum in ijs mores doctrinæ & verbis vsq; adeo non respōdent, cum hoc docent, & illud præstant. Egregiam ad hoc propositum historiam refert Plutar. Cum quidā ætate grandior, stadium olympicū ingressus esset, ac cōuenientē ætati suæ locum quælisset, null⁹ ei omnino ex vniuersis Græcis assurrexit, aut locum celsit: qui tandē ad Lacedæmonios se contulit, qui cæteris cultiores audiebant, inter quos ei non modo pueri, locum cedendo, sed etiam ætate grandiores ac viri assurrexerunt, venerandā canitiē & annos in eodem reueriti, q̄ factum cum cæteri Græci magnopere deprædicarent, inclamare omnium confessu senex cœpit, *Heu miseriam! Omnes Græci norunt, quid sit honestum, sed eo solum vtuntur*

In Lacedæmonicis.

Lacedæ-

Lacedamonij. Vt hoc senis huius apophthegma  
positę accōmodē materię dent operā Pastores  
ipsis scientib. quod sit pulchrum honestum, vti  
ac quantum sit virtutis decus & pulchritudo  
Laici idem opere demonstrēt, ac facto præstent.

Huius meminisse vos velim Præsules, & firmam  
mentem reuocare, q̄ acrem illi in Euangelio  
hensionē à domino vineę audierint, qui præ  
dia & inertia otiabātur. *Quid statis hic tota die*  
*Otiosi* inq̄, non concionātes, nō scribētes, Eccle  
cōmoda negligētes: *otiosi*, clerū nō reformātes, a  
cesis visitationē omittentes, hæreseō zizaniam  
extirpātes: *otiosi*, extra dicecesim, procul à greg  
aulis Principū, in delicijs, voluptatib. indulgētes  
*tota die*: toto iuuentutis vestrę tempore, in florea  
tatis, toto deniq; vitę spatio. Non ita, non ita  
vestri fecēre maiores, non hac via sancti illi patres  
vobis p̄iuerunt, & in primis S. Marcellus, ille ma  
que & concionabatur, & operabatur, ad imitand  
nē nimirū Apostolorū, q̄ primi orbis extirpātes  
scopi, qui bona opera velut additamētū ad prædi  
cationē adiūgebāt, ac virtutē doctrinę velut soci  
adnectebāt, zelū prædicationis & vitę austeritatis  
semper simul in aciem producentes. Hinc de p̄sbi  
curus videtur Psalmographus dicens, *Euntes sicut  
& flebant, mittentes semina sua.* In quam rem Grego  
giam mihi similitudinem suggerit Propheta Iob.

*Psal. 125.*

*Iob. 39.*

Cum Deus Iobo quædā naturę miracula reuelaret, inter cætera ait: *Numquid nosti tempus parturitionis ibicū in pratibus, aut parturientes cervas obseruasti? In quibus curuantur ad fœtum, vt pariant & mugitus emittunt.*  
Gregorius locum hunc in Moralib. explicans, ait: *per has ibices, & cervas cursu velocissimas, primos Ecclesię patres designari: quorum tanta fuit in cursu celeritas, vt quatuor mundi cardines breuissimè*

uissimo temporis spatio peragrarint. de quibus in psalmis scriptum legimus, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum*: quique plurimos Deo, sed non sine ingenti molestia ac magna difficultate pepererunt. vt de se ipse imprimis testatur gentium Apostolus Paulus, *Per Euangelium ego vos genui*. Scire vultis, quos ille labores subierit, quas ærumnas exantlarit, quos in partu dolores sustinuerit, ipsum de se scribentem audite, *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, die & nocte in profundo maris fui, in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentib. periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratrib. in labore & ærumna, in vigilijs multis, & fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, &c.* O partu difficile! ô graue & ærumnosum pauperium! Heu! veteres illi Ecclesiæ Præsules, vt munere suo pastoralis optime fungerentur, quos carceres non subiêre, quæ vincula, quas catenas non sustinuêre, quos labores non sunt perpessi? quos sanguinis torrentes non effuderunt? vt merito de illis Dauidicum hoc vsurpare queam, *Dedit eis regiones gentium & labores populorum possederunt*.

Tales scilicet fuêre veteres illi Præsules, sanctitate & doctrina admirabiles, tales Episcopi illi Galliæ, quorum nomina scripta sunt in cœlis, Remigius Rhemensis, Martialis Lemouicēsis, Saturninus Tholosanus, Surinus Burdegalēsis, Astremnius in Aruernia, Hilarius Pictauiensis, Martinus Turonensis, & Marcellus Parisiensis Episcopi. S. Marcellus inquam, quem hodie præ cæteris prædico, ac de quo canit Ecclesia: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* qui nimirum adeo

*Psal. 18.*

*1. Cor. 4.*

*2. Cor. 11.*

*Psal. 104.*

*Galliæ veteres Episc.*

*Eccl. 44.*

adeo magnus in mundo existit, ac tanti in Ecclesia nominis, ut paucos ei pares reperias, pares in meritibus, pares in virtutibus, pares in miraculis, pares in docendo populos, pares in idololatria extirpanda, pares in honore & cultu Dei promouendo, denique in misericordia erga pauperes mendicos pares.

*Prover. 31.*

De eo namque vere dicere possum ac proprie de omni viro iusto ait sapiens, *Laudent eum in portis opera eius.* ac publice coram uniuerso mundo. Non porro necesse pluribus laudes & encomia eius verba deprædicare, ipsa eius opera, ipsa miracula, eius heroicæ virtutes, in portis eum decantent, ac celebrentur in portis inquam magnæ huius Ecclesiæ, hominum cultui Deiparæ Virginis dedicatæ, in portis nobilitatis huius ac vastæ ciuitatis, in portis ac liminibus magni huiusce regni, denique in portis totius Christiani laudes eius & opera celebrentur.

Cum aliquem magni nominis, aut Principem quæpiam mori contigerit, superbis statim stragulis peristromatis magnificis parietes & domus conuestiuntur: adeo ut necesse non sit nomen qualitatem sciscitari defuncti, cum ex auleis parietum ornatu satis manifestum sit opulentiam quem ac dignitate fulgentem obijisse, quem laudentur in portis & parietibus opera eius. Id ipsum de sancto Marcello hodie mihi dicere licet: si enim sciret fideretis, quis qualisue fuerit, quænam eius merita, vnico vobis statim verbo respondebo, *Laudent eum in portis opera eius*: vitam eius intuemini, actus eius inspicite, miracula attendite, & plurimas alias virtutes, quæ vera animæ supellex sunt, videbitis ex his omnibus, ipsum celebrem quem ac magni nominis Episcopum fuisse.

*Prover. 31.*

Tota igitur hæc diœcesis, totum hoc regnum, vnice

fus clerus atq; vniuersa Catholica Ecclesia hodie  
 mecum dicant, *Ecce sacerdos magnus*. Vere magnus,  
 quia magnæ ac late parentis ciuitatis Episc. ma-  
 gnus, quia magna ac luculenta edidit miracula;  
 magnus, quia magna modo eius in cœlis est glor'ia;  
 magnus deniq; quia magni apud omnes nominis  
 est ac famæ. *Ideo fecit illum Dominus crescere in plebem  
 suam*. O mercedem incomparabilem! ô nobile vi-  
 gilantium Episcoporum præmium! quia nimirũ  
 vigilans fuit ac sedulus in Episcopatu, quia popu-  
 lum sibi concreditum assidue verbo vitæ pavit,  
 & sapienter vitam instituit; quia scientiæ opera &  
 actionem coniunxit, *ideo* nomen eius per omnes  
 terrarum angulos celebre redditum est: *ideo* Epi-  
 scopatum eius Dominus benignissime fouit ac pro-  
 mouit; *ideo* gregem eius & oues fecit excrescere;  
*ideo* bonos ei successores elargitus est, *ideo* nomen  
 eius super æthera notum, ac memoria illius apud  
 posteros erit immortalis. Nam, *in memoria æterna  
 erit iustus, ab auditione mala non timebit*. Hoc quidem  
 de omni iusto, sed ipsum Sancti Marcelli nomen  
 peculiari quadam ratione in æternum manebit,  
 nunquam de eo quisquam secius ac debet loque-  
 tur, Lutetia semper memoriam celebrabit, nomen  
 eius perpetuo conseruabit; semper eum inuoca-  
 bit, ac numquam non de eo dicet, *Ecce Sacerdos ma-  
 gnus, qui in diebus suis placuit Deo*.

Laudes &  
 encomia  
 S. Marcel-  
 li.  
 Eccl. 44.

Psal. 35

Eccl. 44.

O vere magne Marcelle, atq; inter omnes San-  
 ctos eximie, inter Pastores Pastor egregie, decus  
 Lutetiæ, vniuersæ columen Galliæ, fidelium spes,  
 supplicum refugium & præsidium: cuius hodie  
 Ecclesia festiuitatem celebrat. O Sancte ac glorio-  
 se Episcopo qui modo Angelis sociatus in cœlesti  
 regione regnas, Altissimo dilectus & æterna bea-  
 titudine perfruens. O beate Episcopo qui tanta o-  
 lim

De S. S. tom. 1.

H

lim

lim prudentia, ac sanctitate hanc dicecesim  
 xisti, huius obsecro, tui gregis memor esto, ad  
 uiculas tuas benignissimos oculos conuerte,  
 tercede pro eo, qui nostris diebus locum tuum  
 occupat, qui insulam quæ tuum aliquando  
 exornauit, capite gestat, & pedum manibus  
 tuum aliquando fuit, qui idem, quo tu olim  
 uatus fuisti onere, humeris impositum habet.  
 quoniam multum te apud Dominum posse,  
 magni preces tuas apud eum ponderis esse  
 didimus, nostris hodie precibus aurem accom  
 da, pro nobis omnibus intercete, nostras quoque  
 Deo orationes repræsenta, ac pro nobis apud  
 tissimum obtine, vt postquam fidele hic ei ob  
 quum præstiterimus, teq; qui ei carus es, deb  
 honore profecuti fuerimus; ex hac vita in  
 nam ingredi mereamur, ad quam nos con  
 Pater, & Filius ac Spiritus sanctus, Amen.

IN FESTO S. MARTINI EP  
 SCOPI ET CONFESSORIS.

*O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte  
 cendum; qui nec mori timuit, nec viuere  
 uit!*

FIGVRA.

Gen. 12.

**A** Braham Patriarcha statim vt à Deo vocatus  
 fuit, patriam suam, cognationem, ac domum  
 paternam deseruit, & in regionem alienam pro  
 fugus secessit, in qua varijs laboribus afflictus,  
 grauissimas ærumnas perpeffus est. Cum oculis  
 in Sanctum Martinum eiusq; vitam conijcio  
 le quid videre mihi videor. Contemplor enim  
 eum, instar Abrahæ, ad Dei inspirationem, e castro  
 sese proripientem vitam militarem amicos, de  
 mum